

cupide locatam in interiori cordis eius arca. Si sic futurum est, cęlorum Rex et Domine, cur vitę reservamur? Unde nobis alimenta et parvulis nostris? Iam fere ad nichilum redacti sumus. Sed cur frustra conquerimur? Omni hora de vita periclitabimur, nisi nobis sacrarum protectio reliquiarum ac tutum referatur'. Verum enimvero rector Marcenensium coenobitarum precavens sibi de futuris casibus et maxime de alternatione sui comitatus Flandrigenitarum commotionibus ac seditionibus, non consensit ulterius de sacris referendis ossibus tam supplicibus quam simplicibus, devotis quamvis, precibus, ne forte sevitia hostium ac temeritate alias transferretur aut minoris diligentię detrimento collideretur Ionatus confessor sanctissimus, qui tam pio favore non sinebat vexari suos supra modum mundanis turbinibus. Si, quę vero inferuntur hyperbolice vel tropica dictione, figura scilicet, quę excedit fidem, ad exaggerandam¹ utique fit nimiam, quam patitur conventus fidelium de morte et pro morte Karoli victoriosi principis et incliti comitis Flandrię, de cuius casu iniusto, temerario et improviso pauca prelibavimus, desolationem, cuius a suis iniuste necati vice velut functus legatione apud Saliacensem provinciam depellendo hostium inquietudinem sanctus confessor Christi Ionatus consulti iuris per aliquod spatium temporis equam executus est rationem: quocirca supramemorati Saliacenses magis et magis instabant et a precibus sanctum invocantes Ionatum, ut ad se referretur, non cessabant. Crescebant enim mala cotidie, quibus ultra modum resolvebatur cor eorum, presertim cum quosdam neque indulgere quadragesime cernebant, quin arma contra se et in sui perniciem deferrent, bella seditiose atque insidiosae commoverent, trinę quoque parti troni male² divisi climatis Flandrię trium comitum dominationem præter solitum instituerent. Verum hæc et alia mortis stipendia, malorum dispendia, incommoda perplurima consecuta sunt de iniusta nece Karoli Flandriarum comitis egregii, cuius meminisse continua præce, summo cum favore decet conventum, quacumque diffusus est per orbem terrarum fidelis populi. Sed de his hactenus, que implendis fastis præ multitudinem sui gestorum melius reservantur scriptoribus'.

Buzelin in der Gallo-Flandria³ und Beauchamps in seiner Dissertation 'De antiquitate Marcianensi' citieren häufig für die Anfänge von Marchiennes ein Chron. Marchianense⁴. Dieses

1) 'exaggerandum' hs.; über 'dum' steht 't a = vel a'. Der Schreiber hat wahrscheinlich nicht deutlich lesen können; in der That muss '-dam' emendiert werden. 2) 'cronimale' hs. 3) Douai 1624. Die betreffenden Citate stehen und sind entnommen: lib. I, c. 41, p. 203 (aus c. 7), p. 205 (c. 18 u. c. 10), p. 219 (aus dem Epilogus); lib. II, c. 20, p. 334 u. 336 (c. 2), p. 337 (c. 7), p. 338 (c. 5). 4) Gedr. in seiner Ausgabe des Andreas von Marchiennes, Douai 1633 u. zwar p. 482 (c. 2), p. 501/502 (c. 7).